

Ms

dominica

in octava

pasche tit

14 III



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN;
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

DL 7

XIX.
DISPUTATIO BIBLICA XVI
EX XVII. CAPITE
GENESEOS,

de qua

SVB PRÆSIDIO SALOMO-
NIS GESNERI, S. S. THEOLOGICÆ
Doct̄oris & Professoris in Academia VVite-
bergensi ad diem 6. Decembris, Anno
Christi 1598, DEO IUVANTE
respondebit

M. PETRVS GRABOVIVS FRAN-
ceburgensis Pomeranus.



VVITEBERGAE,
Imprimebatur Typis Meißnerianis,
M. D. XCVIII.

REVERENDIS, CLARISSIMIS NEC NON DE REPUBLICA LITERARIA & ECCLESIASTICA VIRIS PRAECI-
clare meritis Dominis

M. Laurentio VVesselo, Verbi Dei in sede S. Iacobaeae apud Sundenses ministro vigilantissimo.

M. Christophoro Casari, Scholae Halensis Rectori dignissimo.

Paulo Mentzio Ecclesiae D. Mariae apud Sundenses Pastori aptissimo.

Casparo Ientz covio Scholae Sundensis Receptoratu ad multos jam annos, gravissime & laudatissime defuncto, nunc vero verbi caelestis inibi ministrum agenti, praecipue: meritiss:

Nicolao Dumrado aulae Francoeburgensis mystae fidelissimo.

Simoni Colero Ecclesiae VVolsffdorpenensis presbytero accuratissimo

Dominis amicis & fautoribus paternè de se meritis hanc
•v214 1101v Theologicam gratitudinis ergo nuncupat

M. Petrus Grabovius Francoeburg Pomeranus.

De cap. XVII. Genes.

Thesis

I.

Historiam decimiseptimi capituli in Genesi usque ad Sacramentum circumcisionis deduximus, de quo nunc aliquot quaestiones examinabimus.

Quaestio prima de appellatione

περιτομῆς *qua triplex.*

II.

Ac principio quidem nominis explicatio aliquam lucem rei adfert. Hebraeis proinde hoc Sacramentum appellatur *1. Circum-*
cisio. מילה בשר ערלה, id est, circumcisio seu amputatio carnis praeputij, graecis περιτομή à materia Sacramenti.

III.

A genere vocatur ברית foedus, διαθήκη Testamentum, *2. Foedus*
etq; appellatio multum in hoc capite inculcatur.

IV.

Chaldaica paraphrasis nominat pactum inter verbum Dei & Abrahamum. Pactum autem personis intercedit. Verbum itaq; intelligitur ὑποστικόν, atq; ita Abraham per circumcisionem in amplissimam beneficiorum Christi possessionem immittitur.

V.

Etsi autem strictè loquendo, pactum, & διαθήκη, testamentum Dei cum Abrahamo consistit in reciproca illa, de qua proxime diximus, obligatione, qua Deus se Deum fore Abrahami promittit, & ab Abrahamo vicissim postulat obsequium. *Quare circum-*
cisio di-
catur fo-
edus.

VI.

Circumcisio tamen ipsa quoque propter duas evidentes causas hoc nomen ab ipso Deo sortitur.

VII.

Primum enim circumcisio totam foederalem actionem significat, quæ non modo resectione carnis sed etiam obligatione cum Deo fiebat.

A 2

Deinde

VIII.

Deinde circumcisio est ὄργανον visibile, per quod initur invisibilis gratiæ stipulatio. Sicut Dominus ait vers. 14. Et erit בריתי foedus meum in carne vestra ad foedus æternum. Vbi quidem foedus in carne de circumcissione visibili accipiendum esse πρὸς διορισμὸς subiecti (in carne) arguit, & quod ista visibilis nota carni impressa sit medium & instrumentum, quo æterna Dei cum hominibus confœderatio perficitur, ex eiusdem vocis immediata iteratione patet.

IX.

3 Signum
foederis.

Præter has appellationes Dominus etiam nominat ver. 11. אֹת בְרִית, signum foederis, quod Paulus Rom. 4. 11. exprimens ait: Abrahamum accepisse signum circumcissionis, σφραγὶς & signaculum iustitiæ fidei. Stephanus Act. 7. 8. Dedit Abrahamo Dominus διαθήκην, Testamentum circumcissionis.

X.

Circumcisio
pro circum-
cisio:

Nec illud hic silentio prætereundum, abstracti voce haud raro in scriptura concretum notari, verbi gratia, cum Paulus ait, Deum iustificare circumcissionem ex fide, & præputium ex fide Rom. 3. 30. Petrum esse Apostolum circumcissionis, se præputij, Gal. 2. 7. Christum fuisse ministrum circumcissionis Rom. 15. 8. His enim & similibus in locis circumcissionem pro circumcisio Iudæis accipi manifestum est: atque eadem alibi nominantur οἱ ἐκ περιτομῆς, qui sunt ἐ circumcissione, Gal. 2. 12. Col. 4. 11. Act. 10. 45. & 11. 2.

XI.

Circumcisio
σφραγὶς καὶ
πνευμα-
τικῆ.

Facit autem scriptura duplicis circumcissionis, sicut etiam duplicis præputij, mentionem. Alia enim est circumcisio visibilis, quæ fit manu externa & cultro cum carnale præputium resecatur, quam Paulus appellat περιτομὴν ὀκταήμερον Phil. 3. & χειροποίητον ἢ σφραγὶς, Ephes. 2. alia vero est interna & spiritualis, quæ Paulo dicitur ἀχειροποίητος in Christo, quæ fit spiritus in corde, Col. 2. 11. Deut. 10. 16. & 30. 6. Ier. 4. 4.

XII.

Licet autem duæ sint circumcissiones adeo tamen non erant apud populum Iudaicum divellendæ, ut Deus externam sine interiore non modo inutilem, sed etiam perniciosam pro-

nunt-



nunciet Ier. 9. 25. Vnde etiam Paulus Rom. 2. 25. Circumcisio quidem prodest, si legem feceris, &c. & mox vers. 28. Non enim qui in manifesto, Iudæus est, neq; quæ in aperto circumcisio est, &c.

XIII.

Et ab interna ac spirituali circumcissione Christiani quoq; *Christiani* nominantur circumcisio. Nos sumus circumcisio, qui spiritu *sunt circum-* servimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne *cisio.* confidentes, Phil. 3. 3.

XIV.

Non esse hanc supervacaneam diligentiam in vocabulorum explicatione iam insumentam, ex sequentibus patebit.

Questio secunda de authore circumcissionis.

XV.

De Iudaica nos iam agimus circumcissione, cuius autorem Dominus seipsum profitetur, cum ait: Ego constituam patrum meum.

XVI.

Vnde solvator Ioan: 7. ad Iudæos dicit: Moses vobis *Circumcisio* tradidit circumcissionem, non quod illa sit à Mose, sed à patri- *non à Mo-* bus. *se.*

XVII.

Dum autem Christus patribus eam tribuit, nequaquam humanum inventum & $\omega\alpha\tau\epsilon\mu\kappa\iota\nu\ \omega\alpha\epsilon\gamma\acute{\alpha}\delta\omicron\sigma\iota\nu$ citra vel contra Dei mandatum asserit, sed patres ante Mosen eius ministros & custodes ex mandato Dei fuisse perhibet.

XVIII.

Atqui circumcisio divinæ sapientiæ, iustitiæ, misericordiæ videtur adversari? Sapientiæ, quod id amputari præcepit, quod ipse condidit: si enim erat resecandum, cur, quæso, creatum? Verum cum propter peccatū totum corpus sit obnoxium corruptioni, quid, quod vnum membrum vulnerationi? *Quomodo circumcisio consentiat cum sapientia Dei.*

XIX.

Atq; istud divinæ sapientiæ proprium est, quod τὸ μω-
ρόν ἔστι σοφίας est hominibus, & infirmitas Dei robustior hominibus est, 1. Cor. 1.

XX.

*Manichæorum
blasphemia.*

Rectissimè igitur Augustinus Fausto Manichæo, circum-
cisionem criminanti obscœnum characterem, respondet: om-
nia munda mundis Tit: 1. Immundis autem & infidelibus ni-
hil est mundum, sed polluta sunt eorum et mens & conscien-
tia. August. contra Faust. lib. 5.

XXI.

Iustitia nihilominus Dei laborare videtur, quod vni po-
pulo & non omnibus, masculino sexui, non etiam foemi-
neo hoc onus impositum est.

XXII.

Quemadmodum autem Deus iniustitiæ accusari non
potest, quòd populum Israëliticum præ alijs elegit in peculium
Psal: 147. Deutr: 7. 9. ita nihil iniusti in eo inest, quòd eidem
peculiaribus beneficiis & Sacramenta largitus est.

XXIII.

*Scholastico-
rum somniū.* De sexu Durandus equidem censet, masculinum solum-
modo sexum esse causam translationis peccati originalis,
ideoque signum remissionis huic soli imprimendum fuisse,
lib. 4. dist: 1. quæst: 6.

XXIV.

Sed hoc falsum esse David liquidò testatur, qui non mi-
nùs à matre quàm à patre originale venenum se hausisse con-
queritur Psal: 51. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in
peccatis calefecit (seu in vtero fouit) me mater mea.

XXV.

Mirum autem non est sic ineptire scholasticos, cum o-
riginis malum nuda imputatione, non etiam seminis & natu-
ræ corruptione omniumq; virium & facultatum humanarum
destructione definiant.

XXVI.

Illud itaq; potius censendum est, diuinæ justitiæ maxi-
mopere conuenire, vt parcat sexui infirmiori, & laboribus atq;
periculis partus alioquin onerato.

XXVII.

*Circumcisio
non contra-*

ὄκτις καὶ ἐξω Ad misericordiam deniq; Dei quod attinet, cui infantium
vulneratio aduersari videtur, ut etiam Zipora ex-
istimat

istimat Ex: 4. sic eam vindicamus, quod Dominus fidelis sit, *via Dei*
& nemini crucem imponat ultra vires, 1. Cor. 10. & quod is, *misericos*
qui dedit velle, porrigat etiam perficere, Phil. 2. *dia.*

*Questio tertia de ministris cir-
cumcisionis.*

XXVIII.

Pertinet huc etiam, ut de circumcisionis ministris di-
catur. Deus enim Abrahamo iniungit, ut domesticis suis sa-
cramentum administret, id quod patriarcha lubens exequitur,
& infra quoque cap. 21. Isaacum circumcidit, Iosua populum
Israeliticum, Ios. 4. Mattathias liberos eorum, qui ad ethni-
cas superstitiones defecerant, 1. Macc. 2. 46.

XXIX.

Ac cum actio foemineo sexui minus sit conveniens, id-
circo penes viros mansit.

XXX.

Foeminis tamen nulla lege fuit interdicta: & Zephora Mo-
sis Vxor, nec non mulieres tempore Antiochi, 1. Maccab. 1. 63.
& 2. Macc. 16. 10. ipsae suos filios circumciderunt.

XXXI.

Neq; usquam solis sacerdotibus ea fuit commissa, licet
singulas partes sacerdotalis officij Moses accuratissime descri-
pserit.

XXXII.

In historia Iohannis Baptistae apparet vicinos & co-
gnatos ad eam ceremoniam fuisse adhibitos, Luc. 1. 58.

XXXIII.

Et cum mulieres octavo die, quo pueruli circumcide-
bantur, in publicum prodire non potuerint, Levit. 12. ipsae vero
eosdem initiationis sacro inaugurarint, certum est eam cere-
moniam intra privatos parietes non in templo fuisse admi-
nistratam.

XXXIV.

Sacramentorum igitur dignitas & virtus a personarum
meritis, autoritate, eminentia lociq; praestantia minime depen-
det. Atq;

XXXV.

Atq; hinc per analogiam ratiocinamur, Etsi Baptismus nō quidem temerē à quovis sed ab ijs, quibus & docendi partes in Ecclesia commissæ sunt, ex mandato Christi ordinariē administrandus est, Matth. 28. quod etiam in praxi Ecclesiæ observatum fuisse Acta Apostolorum testantur.

XXXVI.

Attamen cum minister Ecclesiæ haberi non potest, idem quoque à matribus, aut obstetricibus, aut quovis alio Christiano, collatus (modo nihil eorum, quæ ad integritatem eius pertinent, omittatur) nequaquam pro fabula proq; sigillo aut moneta adulterata, ut Beza in quæstionibus blasphemie censet, sed pro genuino lavacro regenerationis merito æstimatur.

XXXVII.

Idque ob rationes evidentissimas. Principiō enim sicut circumcisio nulla lege ad solos sacerdotes fuit astricta: ita à Baptismi administratione laici & mulieres, urgente, necessitate nullo Christi mandato sunt exclusæ.

XXXVIII.

Deinde qui sub comminatione æternæ damnationis omnes vult esse Baptismo tinctos, Ioh. 3. & probè novit non *Mulieribus & laicis in se: is profectō innuit, baptismum nō ideō omittendum, quod casu necessi- à publico eius ministro haberi nequeat, sed à quolibet in- tatis licet- terim alio suscipiendum esse.* baptizare.

XXXIX.

Accedit tertiō, quod externa ἡ εὐχρημοσύνη & εὐταξία rei ipsius necessitati merito cedit, 1. Cor. 14. Iam vero, ut infans baptizetur, nisi æterna salute privari debeat, necessitas exigit, Io. 3. ut à ministro verbi baptizetur, εὐταξία flagitat: Hanc itaq; illi, non illam huic postponi æquissimum est. Rom. 14. 17.

XL.

Et cur insuper Christianæ mulieres minus haberent libertatis in administrando Sacramento, quod ipsæ perceperunt, quàm Iudaicæ in conferenda circumcisione, quam non acceperant?

Ac cum



Abrahami circumcidentur, qui in quatuor ordines distinguuntur. Primum merito obtinet Isaac totaq; eius posteritas: siquidem illi dicata Seminis venturi promissio, dicente Domino, cum ipso æternum meum fœdus erigam & cum Semine illius post ipsum vers. 19.

XLVII.

*Ismaëlitariū
circumcisio
quatenus
vera fuerit.* Altera classis Ismaëlem eiusq; posteros complectitur, de quibus operæ precium est scire, num genuinum Sacramentum habuerint, cum à doctrina Ecclesiæ tandē penitus defecerint.

XLVIII.

Ad quod Augustini responsionem in quæstione simili de Marcionitarum aliorumq; hæreticorum extra Ecclesiam baptismo Donatistis oppositam usurpamus. Si Evangelicis verbis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis eius fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam catholica Veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. lib. 3. contra Donat. cap. 15.

XLIX.

*Hæretico-
rum sacra-
menta, si in-
tegra, sicut
vera.* Sacramenta enim, ut ibidem scribitur, si eadem sunt, ubiq; integra sunt, etiam si prauè intelliguntur, & discordiosè tractantur. Sicut ipsius Evangelij Scriptura, si eadem ipsa est, ubiq; integra est; etiam si innumerabili falsarum opinionum varietate asseratur.

L.

Et sicut non alia sed eadem aqua Paradisi etiam erat extra Paradisum alluens Ægyptum, Assyriam, Æthiopiam & terram Hevilah, quamvis istæ regiones non essent in paradiso: Ita Ecclesiæ baptismus etiam est apud hæreticos, quamvis ipsi non sint in Ecclesia. lib. 6. cap. 12.

LI.

Planè idem nos de Israëlicarum circumcisione sentimus, quamdiu illi integram retinuerunt, ut videlicet fœderalem illam formulam, ego ero Deus tuus & Deus seminis tui, una cum præputij resectione observarent, eo usq; verum illos Sacramentum habuisse.

Post.

LII.

Postquam autem verborum institutionis obliti sunt, ita ut pacto Dei posthabito, externam solummodo carnis amputationem observarent, sacramentum quoque apud illos expiravit, deficiente nimirum principali parte. Multoq; minus *Turcarum circumcisio.* hodie postquam Christus est exhibitus & circumcisio Apostolica autoritate è medio sublata, Act. 15. Gal. 5, Saracenum, Agarenorum, Turcarum & similium circumcisio pro Sacramento haberi potest.

LIII.

Anne Ismaëliitarum circumcisio, quamdiu integram custodierunt, efficax fuit in infantibus ad æternam salutem? Quidni. Nam hæreticorum Ecclesia filios Dei per baptismum generat, non ex hoc, vnde separata est, sed ex hoc, vnde coniuncta est. Separata est à vinculo charitatis & pacis: sed adiuncta est in vero baptisate. August. contra Donat. l. 1. cap. 9.

LIIII.

Et eodem libro cap. 15. Donatistas ita alloquitur: Nos baptismum vestrum acceptamus, quia non est baptismus ille hæreticorum vel Schismaticorum, sed Dei & Ecclesiæ ubicunque fuerit inventus & quocunq; translatus, *Efficacia sacramentorum ab hæreticis administratorum.*

LV.

Tertius ordo servos complectitur domi natos, & potestremus emptos, istos omnes Dominus circumcisionis fœdere sibi in filios adoptat, ut appareat apud Deum nullam esse negotiorum *ἠρωπλῆσιαν.* Rom. 2. Col. 3. Act. 10.

*Questio quinta de fœminis
Israëliticis.*

LVI.

Cur Deus fœmineum sexum circumcisione non oneravit, nihil attinet quærere, cum infirmitatis & naturalis *ἀδυναμίας* rationem habitam fuisse constet.

B 2

Illud

Quomodo
femine Is-
raëliticæ
fœderi in-
sertæ.

LVII.

Illud autem meritò interrogatur, quomodo foeminae
Israëliticæ sint regeneratæ inq; fœdus Dei assumptæ absq; fœ-
derali Sacramento & regenerationis organo?

LVIII.

Fuisse autem foeminas Israëliticas fœderis cum Abra-
hamo initi participes luce meridiana clarius est. Primum enim
id patet è divina promissione: Ero Deus tuus & Deus semi-
nis tui. Si feminis, non utique masculini tantum, sed etiam
foeminei.

LIX.

Deinde Petrus nominat illas sanctas mulieres, & ait, eas
in Deum sperasse, & cohæredes esse gratiæ. 1. Petr. 3

LX.

Idem verò Saram non minus constituit matrem fide-
lium mulierum, quàm Abraham est pater virorum fidelium.
1. Pet. 3.

LXI.

Vnde quoq; in catalogo fidelium Saræ fides illustri loco
proponitur, ut eam imitemur, Ebr. 11. 11.

LXII.

Et quo pacto filia Abrahami à fœdere possent excludi,
cum mulieres aliunde ortæ matrimoniali copula in communi-
onem promissionis sint assumptæ, ut in Rebecca, Rachele,
Lea, Rahab, Ruth & similibus manifestum est.

LXIII.

Etsi proinde signo fœderis corporali caruerunt, Deus ni-
hilominus peculiari modo internam animi & cordis circum-
cisionem (de infantibus loquor) in illis operatus est, Deut. 10.
& fide purgavit corda illarum, Act. 15.

LXIV.

Scholasticum est commentum, quod Lombardus existi-
mat, illas per fidem & operationem bonam, vel suam, si adul-
tæ essent, vel parentum, si parvulæ, iustificatas esse: lib. 4.
distinct. 1.

LXV.

Iustificamur enim fide absq; operibus, Rom. 3. & non
aliena sed sua propria fide vivit iustus Abac. 2.

Quæ-

Questio VI. de Profelytis.

LXVI.

Porro cum subinde aliqui aliarum gentium ad religionem Israëliticam accesserint, qui inde Profelyti, quasi adventitij sunt dicti, (nam προσήλυτοι erant οἱ ἐξ ἔθνῶν προσελλυθέντες ^{Qui Pro} _{selyti} iuxta Suidam) quid cum illis sit actum scitu dignum est.

LXVII.

Duo autem illorum genera fuisse ex sacra constat historia. Alij enim sola religione alij & religione, & cohabitatione Iudæis coniuncti permixtiq; fuerunt.

LXVIII.

Primo generi liberum erat, sive circumcidi sive à circumcissione abstinere vellent, quod in Naamam Syro, Cyro, Dario & alijs patet, qui signaculum istud corpore non susceperunt, fide autem in venturum Messiam salvati sunt, & ad populum civitatemq; Dei pertinuerunt. August. lib. 18. Ciu. D. cap. 47.

LXIX.

Quibus verò in terra promissa inter ipsos Iudæos habitare, connubia cum illis contrahere, agnumq; paschalem manducere libuit, eosdem etiam circumcidi oportuit, ut in Simeitarum exemplo, Gen. 12. 48. patet: & in præsentè capite Dominus ait, tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, & quicumq; non fuerit de stirpe vestra. Et quantus horum fuerit numerus Salomonis historia indicat, cuius ætate inventi sunt centum quinquaginta tria millia & sexcenti. 1. Par. 2. 18.

LXX.

Adimantus Manichæi discipulus tradiderat, Christum profelytos ideo duplo plus quam Phariseos filios gehennæ perhibuisse, quod circumcidi se paterentur & sabbatum observarent. Matth. 23, atq; hinc antilogiam inter Mosen & Christum evincere conatus fuerat.

LXXI.

Sed rectè illum retundit Augustinus: Quasi verò Dominus propterea profelytum diceret filium gehennæ, quod circumciditur, & Sabbatum observat, & non potius, quod Iudæorum præavam conversationem cogitur imitari, non qua observant præcepta Legis, sed qua faciunt contra Legem. libro contra Adimantum cap. 16.

B 3

Quod

LXXII.

Quod Profelyti in societatem foederis Abrahami admissi sunt, ex eo sequitur, Deum quovis tempore è media idolatrarum turba aliquos convertisse, & cæterorum quoque conversionem æternamq; Salutem serio desiderasse.

LXXIII.

Dominus enim non tantum diligit iustos, sed etiam custodit advenas. Psal. 146. Vide Augustin. lib. 18. Civ. D. cap. 47, & in Psalm. 145.

Questio VII. de mortuis ante perceptam circumcisionem.

LXXIV.

Ad hoc negotium de personis circumcidendis pertinet etiam quæstio de ijs, qui ante extincti sunt, quàm Sacramento affici potuerunt.

LXXV.

De quorum salute quid statuendum sit è distinctione apparet. Nam, qui Sacramentum contemserunt, & aspernati sunt, de ijs Deus ipse pronunciat: Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa, de populo suo: quia pactum meum irritum fecit. In hebræo est כִּזְבּוּ, quod significat, violare, contemnere, negligere, & frangere.

LXXVI.

Et hoc quidem adultos potissimum concernit. Infantes autem, qui non sua sed parentum culpa Sacramento privati sunt, ut divino iudicio committamus ipsosq; interim parentes maximè reos esse statuamus, æquissimum est. Ezech. 18.

LXXVII.

Nec contemnenda tamen Augustini sententia: Quia circumcisio signum regenerationis fuit, non immeritò parvulum propter originale peccatum, quo primum Dei dissipatum est testamentum, generatio disperderet, nisi regeneratio liberaret. Intelligenda enim sunt Dei verba, ac si dictum sit: qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de gente eius. lib. 16. C. D. cap. 27.

Ad res

LXXVIII.

Ad reliquos quod attinet, qui non negligentia, sed mortis præmatura festinatione salutari regenerationis organo spoliati sunt, illi à lege & comminatione addita excipiuntur, eo quod diem octavum non attigerunt, ante quem circumcisio nemini conferri debuit.

Et locum hic habet Augustini regula, quam de non baptizatis tradit lib. 4. contra Donatist. cap. 23. Sicut in latrone, quia per necessitatem corporaliter baptismus defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritualiter adfuit. Sic & cum ipsa præsto est, si per necessitatem defuit, quod latroni defuit, perficitur salus.

LXXIX.

Nequaquam autem valet Scholasticorum figmentum, de aliena fide, cui Calviniani tamen Papisantes calculum tribuunt. Lombard. lib. 4. distinct. 1. & in eum locum Durandus, Aquinas, & reliqui.

LXXX.

Deus enim deficiente ordinario medio extra ordinem modo nobis incognito fidem in illis operatus est, sicut in infantibus, qui quadraginta annorum spacio in deserto nati absque circumcisione vel feliciter hinc migrarunt, vel adoleverunt.

Questio VIII. de necessitate duratione & abrogatione circumcisionis.

LXXXI.

Virum necessaria an ἀνάγκη & libera fuerit Circumcisio iam quoque declarandum est. Ad istud autem problema temporum requiritur distinctio.

LXXXII.

Nam ante Christi adventum in carnem ad Salutem adeo fuit necessaria, ut eius neglectio cum æternæ salutis iactura coniuncta fuerit, ut è Domini verbis modò intelleximus.

Post



LXXXIII.

Post exhibitum Christum inter ἀδελφοὶ primis Ecclesiae novi Testamenti temporibus habita fuit. Nam Timotheus evitandi Scandali causa circumcisus est, Act. 16. 3. Titum verò Paulus & cæteri Apostoli circumcidi non coegerunt. Gal. 2, 3.

LXXXIV.

Idemque, 1. Cor. 7. perspicua hac sententia declaratur. Quemlibet, ut vocavit Dominus, ita ambulet, & sic in omnibus Ecclesijs doceo. Si quis vocatus est circumcisus, ne attrahat præputium, in præputio aliquis vocatus est, non circumcidatur.

LXXXV.

Cum verò Pseudoapostoli (ex quibus Cerinthus & Cerinthiani, ut est apud Augustinum ad Quodvultd. cap. 8. nec non Merinthus & Merinthiani, ut ibid.) circumcisionem & reliquas Mosaicas ceremonias dicerent ad salutem esse necessarias, Apostoli in prima Synodo novi Testamenti, Act. 15. eam penitus abrogarunt, & Paulus Gal. 5. eadem comminatione illam prohibet, qua Deus olim Israëlitis mandaverat: Ecce ego Paulus dico vobis, quod si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.

LXXXVI.

Nonne autem Deus suis in consilijs & institutis mutabilis est, siquidem ceremoniam tanta severitate introductam vicissim abolet? Quod si circumcisionem Dominus ita instituisset, ut semper duraret, militaret hæc ratio. Quia verò cum polita Iudaica finiri debuit, sicut ex istis verbis aliquoties in hoc capite repetitis, (custodietis pactum in generationibus vestris) apparet, idcirco nulla mutatio divinæ sententiæ, sed potius eiusdem confirmatio ex eo sequitur, quod generationibus seu familijs Israëlitarum sublatis ipsa quoque desijt.

LXXXVII.

Atqui fœdus æternum nominatur? Quid de voce עולם sentiendum sit proxima disputatione indicatum est, ut repetitione non sit opus. Fœdus ipsum equidem perpetuum est: signum autem fœderis certi temporis.

Anne res mala erat, ut abijcienda fuerit? Manichæi equidem

dem blasphemè contenderunt Legem divinam à principe tenebrarum esse ortam & proinde malam. Epiphan. lib. 2. tom. 2. August. lib. 15. contra Faust. epistola item 11. & 74. Hilarius lib. 6. de Trin.

LXXXVIII.

Encratitæ perhibuerunt legem esse alterius Dei, ut refert Clemens lib. 3. Strom. indeq; inferebant malam & penitus fugiendam esse.

LXXXIX.

Marcionistæ, licet eodem contenderint, non tamen ausi sunt malam vocitare: iustam autem, neque tamen bonam nominarunt, iustum quasi medio loco inter bonum malumque constituentes, quod nec bonum esset nec malum: Clemens lib. 2. Strom.

XC.

Contra hæc portenta rectè statuit Augustinus epistola 203. Signacula veteris Testamenti non damnata sunt, sed succedentibus oportunioribus decesserunt. Nam sicut circumcisionem abstulit Domini primus adventus, sic baptismum auferet secundus adventus.

XCI.

Et memorabilis est Ambrosij sententia lib. 1. de patriarcha Abr. cap. 4. Signum destruxit, veritatem induxit. Quia postquam venit, quod perfectum est, quod ex parte erat, evacuatum est, & ideo cessavit circumcisio partis, ubi refulsit circumcisio universitatis.

XCII.

Perindè enim ut dies non idcirco mala est, quod nocte succedente aboletur, neq; nox, quod dies illam excipit: Ita quoq; circumcisio, quæ umbra fuit futurorum, vituperari non potest, quod typus corpori, quod umbra luci cessit. Rom. 13. Col. 2. Ebr. 10, 1. Cor. 10.

XCIII.

Quod autem abolenda fuerit circumcisio, id epistola Ebr. cap. 8. indicat, cum in genere de omnibus ceremonijs veteris Testamenti ita ratiocinatur: Quia apud Ieremiam cap. 31. Dominus promiserat, se fœdus novum cum populo
C suo

fuo initurum. Novo autem pacto abrogatur vetus. Veteres proinde ceremoniæ tollendæ fuerunt.

XCIV.

Causæ abrogationis cuiusvis sunt obviæ. Instituta enim erat, ut hunc populum, in quo nasciturus erat Messias, penes quem erat ecclesia & publicum docendi ministerium, ab alijs gentibus visibili nota distingueret. Psal. 132. & 147. Postquam autem Messias natus est, paries ille intergerinus & interstitiũ discernens Iudæos à gentibus è mediò removeri debuit. Eph. 2.

XC V.

Daniel verò etiam cap. 9. temporis periodum indicat, qua Messias novum pactum confirmaturus & sacrificia sublaturus sit. Non enim duobus, sed vnico opus est regenerationis & initiationis sacramento.

Et Christus ipse Matth. 11. ait, omnes Prophetas & Leges durare usq, ad Christum.

XCVI.

Et quanta foret dementia, si nunc, exorta luce, tenebras, & porrecto corpore, vmbra[m] consectari vellemus? Col. 2. Gal. 4. Augustin. in quæstionibus ex veteri & novi Test: quæst: 50. Cumq; Sacerdotium Leviticum sit abrogatum, lex quoque unà concidit. Nam Christus Sacerdos est non secundum ordinem Levi, sed Melchisedeci. Ebr. 7.

XC VII.

Si denique, durante adhuc politia Israëlitica, profelyti è gentibus orti non sunt compulsi circumcissionem suscipere, quod Ninivitarum, Nabuchodenesoris, Darij, Cyri, Naëmani & similium exemplis conspicuum est, quanto minus destructo iam templo & everfa republica Iudaica nos adigemur.

XC VIII.

Nec obstat, quod Circumcisio originaliter non est à Mose, sed ex patribus, Iohan. 7. Sic enim Sabbathum quoque & Sacrificia non ex Mose, sed à patribus ortum habuerunt: quæ tamen omnia eò, quod per Mosen legibus confirmata & descripta sunt, pro Mosaicis censentur, eamq; ob causam abrogantur.

Quod

XCIX.

Quod postremò Esa: 52. & Ezech. 44. promittitur, in Ecclesia novi Testamenti nullum fore incircumcisum, id non de præputij, sed animi circumcisione accipiendum esse textus ibidem evincit.

C.

Valeant igitur Nazareni, qui Symmachiani quoque appellati fuerunt, qui & circumcisionem habent Iudæorum & baptismum Christianorum. Augustinus lib. 1. contra Cresconium grammat: cap. 31.

Questio IX. qua parte corporis.

CL.

Manichæi blasphemè hoc Sacramentum insectati sunt, quòd dignobili parte corporis excipiendum fuerit, ut patet ex Augustini lib. 5. 6. & reliquis contra Faustum.

CII.

Quibus Paulinum illud obvertimus, quæ videntur minus honesta corporis nostri membra, ea decentius amicare solemus, & quæ minus sunt decora, ea plus decoris habent. 1. Cor. 12.

CIII.

Deus enim hoc Stigmate parti seminali inflicto originis nostræ corruptionem ob oculos nobis ponere voluit. Psal. 51. Job 14. 15.

CIV.

Simulq; admonere, libidinem & concupiscentiam carnis sedulo refecandam esse Rom. 6. 1. Iohan. 2. 16.

Christum carnenostri assumpta, absq; virili semine, hominè nasciturum eadem amputatio præfigurabat. Ideo enim masculi circumcisi, non foemina, ut è foemina non è viro nasciturus crederetur.

CV.

Et breviter pleraq; complectitur Augustinus lib. 2. contra Iulianum Periliani Manich. cap. 37. circumcisio prænunciabat iustificationem nostram, & expoliationem carnalium concupiscentiarum.

CVI.

Eaq; parte convenienter susceperunt infantuli regenerationis Sacramentum, unde sortiti erant generationis initium.

C

2

Sed

CVII.

Sed de his & similibus allegorijs legatur Augustin. libr. 6. & 16. contra Faustum Manich. Ambrosius lib. 1. & 11. de patriarcha Abrahamo, Theodoretus quæstione 67. in Gen. Philo de circumcisione.

Quæstio X. de die.

CVIII.

Quod infantes non, simul ac nati essent, circumcidi debuerunt, sed octavo à nativitate demum die, id divina providentia sic constitutum est, ut aliquid virium prius adipiscerentur, quàm vulnus acciperent.

CIX.

Et de Isaaco, Moses Gen. 21. de reliquis autem patriarchis, Stephanus Act. 7. testatur, quod die octavo circumcisi fuerint, etsi Beda, & alij, de nullo, quàm de Isaaco & Christo illud annotatum esse, existimat.

CX.

Consentaneum autem non est, ut Beda censet, Iudæos ante diem divinitus constitutam in mortis periculo infantes circumcidisse, sed si ante octavum diem avocarentur nihilominus de ipsorum salute certos fuisse, ut in Davide apparet, 2. Sam. 17.

CXI.

Nec tamen circumstantia temporis ad Sacramenti istius substantiam pertinet. Alioquin circumcisio post diem octavum infantibus administrata fuisset irrita: cum contrarium in filio Moses Ex. 4. & in infantibus, quos Israëlita à deserto in Palestinam aspertarunt Ios. 5, appareat.

CXII.

Sed hinc quoque constat Sarracenos circumcisionem divinitus mandatam non habere, cum suos non die octavo, ut Deus præceperat, sed anno plerumq; decimo tertio, ad Ismaëlis exemplum, circumcidant.

CXIII.

Tanti autem fuit hæc actio, ut quiete Sabathi potior haberetur. Vnde Christus Iohan. 7. contra Pharisæorum calumnias

mnias

mnias se tuetur: Si circumcissionem accipit homo in Sabatho, ne dissolvatur lex Mosis, & mihi succensetis, quod totum hominem sanum feci Sabatho?

CXIV.

Augustinus epistola 89. præter causam supra allatam etiam hanc adiungit, cur circumcissioni dies octava destinata fuerit, ut resurrectionem Domini significaret, quæ die octava facta est, indeq; causam salutis promanare ostendit. Idemque in quæstionibus veteris Testamenti quæst: 29. & quæst: 95. novi Test: & alibi repetit.

Questio XI. de instrumento.

CXV.

Ebræus textus instrumentum, quo peragebatur circumcissio, Ex. 4. 25. nominat צור & Ios. 5. חֲרֻבוֹת צָרִים quod graeci & latini de faxeis seu petrinis cultris acceperunt.

CXVI.

Et Augustinus lib. 2. contra Pelag. & Cælest. cap. 31. Theodor: quæst: 5. in Iosuae librum, aliq; allegoriam inde desumferunt, quod faxei cultelli Christum lapidem angularem, & petram viventem 1. Cor. 10. 1. Petri 2. Esa. 8. 28. denotarint.

CXVII.

Nomen autem צור non ubiq; petram, sed aliquando etiam gladij cultrive aciem significat, Psal: 89. Avertisti aciem gladij ipsius.

CXVIII.

Proinde Ionathæ Thargum Ios. 5. habet acutas novaculas & Lyra aliq; , inter quos & Lutherus, hanc sententiam approbant.

CXIX.

Vnde Iudæi in hodiernum usq; diem non faxeos, sed ferreos adhibent in circumcissione cultellos.

Questio XII. de efficacia circumcissionis.

C 3

Dignif.

CXX.

Dignissima omnium consideratione quæstio est de effi-
cacia & fructu circumcisionis.

CXXI.

Philo sanè in libello de Circum; aliquot causas institutæ
circumcisionis commemorat, quod nimiram carbunculi
avertendi gratiâ, puritatis item & fœcunditatis causâ, nec
non, ut cor à voluptatibus & arrogantia purgandum esse si-
gnificaret, divinitus mandata fuerit.

CXXII.

Sed de regeneratione apud illum & alios Iudæos altum
silentium. Quemadmodum etiam Theodoretus quæst: in
Gen. 67. & alij de circumcisione præclarius nihil sentiunt,
quàm quod character fuerit, quo Iudæi ab impijs gentibus di-
scernerentur.

CXXIII.

Ac tametsi Lombardus scribat hoc Sacramentum idem
remedium contra peccatum contulisse, quod nunc præstat
baptismus, ut Augustin, lib. 2. de nupt. & concup. cap. 11. docet.

CXXIV.

Paulò post tamen idem tradit in circumcisione peccatum
originis solummodo dimissum, sed nec gratiam ad benè ope-
randum adiutricem, nec virtutum possessionem vel augmen-
tum præstitum fuisse: & addit, Circumcisionem Abrahamo
per fidem iam iustificato signaculum tantum fuisse, nihil ei in-
tus contulisse; item, circumcisionem januam regni cœlestis
non aperuisse.

CXXV.

Thomas verò cum prolixè disputasset, circumcisionem
non impressisse characterem animæ, nec contulisse gratiam,
tandem concludit, quod illa dederit gratiam quantum ad effe-
ctus privativos culpæ & reatus, & quantum ad quosdam (non
autem ad omnes) effectus positivos, hoc est, quod reatum cul-
pæ Adami removerit, nō autem hominem æterna vita dignum
effecerit; ut ipse mox explicat.

CXXVI.

Contrarium tamen sentit Scotus in 4. d. 6. q. 9, quod
nimirum

nimirum circumcisio impresserit characterem & contulerit gratiam.

CXXVII.

Scholasticis proinde hæc quæstio de effectu Sacramentorum veteris Testamenti & in primis Circumcisionis verè fuit pomum ægid^o, dum alij statuerunt, illa fuisse organa & media, per quæ spiritus sanctus fidem fuerit operatus, alij verò idem strenuè negarunt.

CXXVIII.

Donec tandem anno Christi 1439. in Concilio Florentino ab Eugenio Papa contentio sublata & ita decretum est: Sacramenta antiquæ legis non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: nostra verò novæ legis & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.

CXXIX.

Eademq; est concilij Tridentini sententia, quandoquidem eos, qui dicunt sacramenta in novo, quò ad efficaciam non differre à Sacramentis in veteri Testamento, anathemate percutit.

CXXX.

Et Bellarminus istam Thesin operosè defendit, nullum Sacramentum legis naturæ aut scriptæ iustificasse, aut characterem animæ impressisse, sed hoc solummodo sacramentis novi Testamenti competere. lib. 2. de Sacram: cap. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.

CXXXI.

Status proinde controversiæ hic est, utrum Circumcisio fuerit tale organum & medium, per quod spiritus sanctus in infantibus fidem accenderit, in adultis confirmavit. Negant id Pontificij: nos asserimus.

CXXXII.

Et Argumenta quidem negantia è Iesuitarum promacho, Bellarmino, cognosci possunt, quorum prima classis è dictis Psal. 39. 50. Esa. 1. Am. 5. deprompta refutatur ea sententia, quod hæc dicta non agant de Sacramentis, qualia erant, ex ordinatione divina, sed qualia esse putabantur superstitiosa Iudæorum persuasione. Reli-

CXXXIII.

Reliqua testimonia, quæ ex novo Testamento addu-
cuntur, partim de typis loquuntur, quibus nulla erat annexa
promissio, partim non eam vim, quam olim habuerunt, sed
eam facultatem, quæ post Christi incarnationem (cum iam
essent abrogata) illis affingebatur, impugnant.

CXXXIV.

Sed cum huius instituti non sit de effectu Sacramento-
rum in genere nunc disputare, satis erit, si infallibili scriptu-
rarum fundamento probaverimus, circumcisionis in veteri
Testamento eandem fuisse efficaciam, quæ est Baptismi in
novo, perq; illam infantes esse regeneratos & hæredes æternæ
salutis effectos.

CXXXV.

*Argumenta
pro effectu
circumcisi-
onis.*

1.

Ac principiò quidem constat hoc ex promissione huic
Sacramento addita, Ero Deus tuus & Deus seminis tui. Hæc
enim spondet gratiam Dei, specialem præsentiam & inhabita-
tionem, vitam deniq; æternam Matth. 22. ut supra est demon-
stratum. Per circumcisionem autem Deus se obstringebat,
quod vellet esse circumcisi Deus: Ergo per circumcisionem,
tanquam salutare organon, suam gratiam, peculiarem inhabi-
tationem & vitam æternam circumciso largiebatur. Largiri
autem hæc absq; fide non potuit Ebr. 11. Fidem proinde per
circumcisionem accendebat.

CXXXVI.

2.

Deinde quod hæc vox, ero Deus tuus & Deus seminis
tui, non sit concio legis, sed evangelica promissio, manifestum
& extra controversiam est. Evangelium autem est potentia
Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1, cumq; hæc ipsa promif-
sio præcipua pars sit actionis fœderalis, & verbum elemento
additum, non potuit Sacramentum tali promissione munitum
inefficax esse, Esa. 55. Psal. 68.

CXXXVII.

3.

Tertiò Deus ipse dicit, se per circumcisionem inire pa-
ctum cum semine Abrahami in fœdus æternum. Iam verò De-
us nec pacisci nec æternum fœdus cum infideli inire potest.
Fides itaque per circumcisionem generetur oportet.

Quartò

CXXXVIII.

Quartò Circumcisionem in carne Dominus appellat pactum æternum: Erit pactum meum in carne vestra in foedus æternum. Æternum autem pactum in carne non regenerata nullo modo consistere potest. Caro itaq; per circumcisionem regenerata fuit.

4.

CXXXIX.

Præterea rectè concludit Beda in cap. 2. Lucæ à comminatione contemptui huius Sacramenti opposita. Si enim contemptores circumcisionis à spe æternæ salutis & consortio Ecclesiæ excluduntur, necesse est, ut illa sit medium, per quod in communionem sanctorum & hæreditatem æternæ vitæ circumcisi adsciscantur.

5.

CXL.

Firmissimum hoc esse argumentum ex analogia Baptismi constat, vnde Beda scribit: Qui nunc dicit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei Ioh. 3. ipse tunc dicebat, Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit anima illa de populo suo.

CXLI.

Adhæc nisi Circumcisio salutare medium fuisset, quo gratiæ Dei veteres facti essent participes, non potuissent profecto ex ea tam efficaces contra omnis generis pericula consolationes depromere, quod Ionathanem, 1. Sam. 14. & Davidem 1. Sam. 17. facere videmus.

6.

CXLII.

Peculiariter porrò huc facit, quod Paulus circumcisionem definit σφραγίς sigillum iustitiæ fidei Rom. 4. Neq; enim adulto saltem Abrahamo, sed etiam Isaaco & reliquis infantibus erat sigillum iustitiæ fidei.

7.

CXLIII.

Cumq; infantes neq; per carnalem nativitatem, ex qua sunt filij iræ Ephes. 2. Ioh. 1. & 3. neq; per auscultationem verbi fidem hauserint; necesse est, ut per circumcisionem eam adepti fuerint. Alioquin enim circumcisio inane esset sigillum, imò sigillum iniustitiæ & infidelitatis.

D

Paulus

CXLIII.

8. Paulus insuper baptismum nominat circumcisionem ἀχα-
γοποίητον, quod per illum exuatur corpus peccatorum carnis.
Nisi proinde in circumcissione corpus peccatorum carnis fuisset
exutum, non posset hæc adduci comparationis inter utraq;
Sacramenta causa.

CXLV.

9. Quid, quod Petrus Act. 15, cum de abrogatione circum-
cisionis consultatio agitur, hoc argumento obtinet, circumci-
sione nobis opus non esse, cum absq; illa Deus purificet fide
corda Ethnicorum baptizatorum.

CXLVI.

10. Annon hinc ultrò sequitur corda Israëlitarum fide per
circumcisionem purgata fuisse? Sic enim vult Petrus colli-
gere: Si circumcisio imponenda esset ethnicis, eam solummo-
do ob causam, id fieri debebat, ut per illam fide corda purga-
rentur. Iam autem Deus per baptismum absq; circumcissione
corda illorum fide purgat. Ergo circumcissione non est opus.
Iam si effectum illum purgandi corda fide circumcissioni ad-
mas, omnes nervi argumento Petri incisi erunt.

CXLVII.

Addit eadem in concione: per gratiam D.N.I.C. credi-
mus nos servari (ὅν τρόπον) eodem modo, quo & illi. Modus
autem, quo nostri infantes salvantur, alius non est, quàm per
baptismum Ioh. 3.1. Pet. 3. Necessè igitur est, ut priscis tempo-
ribus Israëlitarum infantes per circumcisionem fide fuerint
purgati & servati.

CLXVIII.

11. Nec leve argumentum, quod Deut. 20. scriptum est:
Circumcidet Dominus cor tuum & cor seminis tui, ut diligas
Dominum Deum tuum in toto corde tuo. Semen utiq; sunt
infantes, quorum cor nullo alio medio, quàm hoc Sacramen-
to circumcidi potuit, quod ipsum etiam adhibita vox circum-
cisionis innuit.

CXLIX.

12. Nisi præputium cordis, id est, peccatum per circumci-
sionem ab Israëlitis ablatum fuisset, accusari non possent, quod
præputium ipsi sibi fecerint, 1. Macc. 1. 16, quodq; circumci-
sionem

tionem suam in præputium per inobedientiam converterint
Rom. 2. 25. Quomodo enim circumcissione cordis semetipsos
privare possent, quam nunquam adepti fuissent?

CL.

Non qui in manifesto sed qui in abscondito Iudæus est,
neq; quæ in manifesto, in carne, sed circumcisio cordis, in spi-
ritu, Rom. 2. Hoc est: Verus Iudæus est, qui habet cor cir- 13.
cumcisum, veraq; circumcisio est, quæ fit spiritu in corde. Sed
infantes fuerunt veri Iudæi, (neq; enim erant ethnici) illorūq;
circumcisio fuit vera circumcisio. Spiritu proinde in cor-
dibus circumcisi sunt, alioquin coram Deo non modo ab eth-
nicis non distarent, sed illis etiam deteriores essent, utpote
præputium cordis circumcissione carnis occultantes.

CL I.

Ea circumcisio vera & salutaris est, quæ ex Deo laudem 14.
habet non ex hominibus Rom. 2, id est, quam Deus ipse ad-
ministrat intus in corde, non quam homines foris adhibent.
Atq; talis est infantum circumcisio, dicente scriptura: Domi-
nus circumcidet cor seminis tui, Deut. 30. Est igitur salutaris.

CL II.

Filij Dei sunt qui ex Deo nascuntur Ioh. 1. & 3. Infantes 15.
autem per circumcissionem fiebant filij Dei, Gen. 17. Ergo per
eam renati sunt.

CL III.

Sed desino huc accumulare plura: hæc enim abundè suf-
ficiunt. Coronidis loco adijciendum est illud, quod Augusti-
nus, Beda aliq; patres non ineptè è ceremonijs externis ratio-
cinati sunt, circumcissionis effectum fuisse remissionem pecca-
ti: fidem iustificantem & æternam salutem.

CL IV.

Nam ideo in membro genitali circumcisio fiebat, ut quic-
quid damnationis è carnali nativitate infantes contraxerant,
per hunc ritum illis adimi & rescari constaret.

CL V.

Ideo sanguis profunde batur, ut sanguine Christi pec-
cata aboleri, eiusq; meritum per circumcissionem infantibus
applicari certum esset.

Idcir-

CLVI.

Idcirco deniq; magno cum dolore character iste carnī
imprimebatur, ut perpetuum signum esset, cruciatus & dolo-
res Christi circumcisis accommodari & conferri.

CLVII.

Atq; hæc de Circumcisione. Reliqua de mutato semine
Saræ, de intercessione patris pro Ismaële, deq; Abrahami &
familiæ eius obædientia in suscipienda circumcisione
cum plana sint, disputatione
nulla indigent.

FINIS



Nh 1236.

80

f

ULB Halle 3
 002 819 279



an 31 nur verknüpft JA → OL
 f1-5 + 40 Stück
 f23

VD 17 Me



mm Inu uipmze

mm

mm mm mm

de



^{XIX.}
DISPUTATIO BIBLICA XVI
EX XVII. CAPITE
GENESEOS,

de qua

SVB PRÆSIDIO SALOMONIS
GESNERI, S. S. THEOLOGICÆ
DOCTORIS & PROFESSORIS IN ACADEMIA VVite-
bergenſi ad diem 6. Decembris, Anno
Christi 1598, DEO IUVANTE
reſpondebit

M. PETRVS GRABOVIVS FRAN-
ceburgenſis Pomeranus.



VV I T E B E R G A E,
Imprimebatur Typis Meißnerianis,
M. D. XCVIII.

